



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. iii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Quæ presbyteri necessario discere, & scire
debeant. Cap. II.*

*Ex dictis
August.*

QVAE ipsis sacerdotibus necessaria sint ad discendum, id est, liber sacramentorum, lectionarius, antiphonarius, baptisterium, computus, Canon penitentialis, Psalterium, Homeliæ per circulum anni dominicis diebus, & singulis festiuitatibus aptæ. Ex quibus omnibus, si vnum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit, quia valde periculosa sunt euangelicæ minæ quibus dicitur, Si cæcus cæco ducatum præster, ambo in foueam cadunt.

De eadem re.

Cap. III.

*Ex epist.
Zepheri-
ni papæ,
fratribus
per Aeg-
gyptum
missa, ca.
10.*

Ordinationes verò presbyterorum & leuitarum tempore congruo, & multis coràm astantibus solenniter agite, & probabiles ac doctos viros ad hoc opus cõstituite, vt illorum societate, & adiumento plurimùm gaudeatis.

Quod ordinationes fieri non debeant, nisi in loco certo & religioso. Cap. IIII.

*Ex cõcil.
Meldesi,
cap. 6.*

HI qui ordinari petunt, nullatenus ordinentur, nisi in loco certo & religioso, vel etiam in ciuitate saltem vno anno immorentur, vt de vita & conuersatione, atque de doctrina illorum certitudo possit agnosci.

Quod Abraham primus sit appellatus presbyter, & quare presbyteri nominentur. Cap. V.

*Ex epist.
Anacleti
papæ om-
nibus episco-
pis p Ita-
liã consi-
tutis mis-
sa, ca. 22.*

PORRO & Mosi præcipitur, vt eligat presbyteros id est, seniores. Vnde & in Prouerbiis dicitur: Gloria senum, canities. Hæc verò canities, sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum, prudentia est. Quumq; nongentos & amplius annos ab Adam vsque ad Abrahamã vixisse homines legimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, id est, senior, nisi Abraham, qui multò paucioribus vixisse annis conuincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiã presbyteri nominantur. Initium enim sacerdotii Aaron fuit: licet Melchisedech prior obtulerit sacrificiũ Deo. & post hunc Abraham, Isaac, & Iacob. Sed hi spontanea voluntate, non sacerdotali autoritate ista fecerunt.